

Lectori Benevolo Salutem.



Xhibeo Tibi, B.L. Notas Criticas b.mei Parentis, DN. D. JOH. MICHAELIS, quas Lugduni Batavorum concepit Anno 1641. uti notatum reperio manu Beati; an verò ibidem ad umbilicum perduxerit, me quidem latet, incertum quoque est, an animus ei fuerit unquam, eas edendi? Assiduus aliàs dicto in Lycéo auditor fuit Philologi per Orbem literarum famigeratissimi, DN. JACOBI GOLII, Lingv. Arabicæ & Mathem. ibidem Professoris, qui tunc temporis adhuc ineditum Lexicon suum Arabicum ex singulari Benevolentia cum eo communicavit, id quod manu propriâ ab illo Lugd. Bat. Anno 1642. tersè transcriptum asservo. In Thalmudico-Rabbinicis pariter ibidem sub ductu DN. CONSTANTINI P'EM-PEREUR fundamenta jecit. Quamplurimos quoque Annos ab ore Clariss. DN. SAMVELIS BOHLII, Philologi pariter insignis & ferè incomparabilis, pependit, cui profectus suos in studio Lingvarum Orientalium se debere ingenuè fassus est, in Præfat. ad illum, Disputationi suæ de proprietate Vocum indagandâ, Anno 1638. Rostochii præsidendo habitæ, præmissâ, hisce verbis:

Cur hæ pagellæ, VIR Clarissime, Fautor ac Præceptor instar Patris observande, impræsentiarum ad Te properent, non est, quod multis apud Te exponam. Si enim (quod meritò facio) ad animum mihi revoco, quanto à Te

(a) 3

bene-